

Qui nonnullæ Plantæ & corpora in aere nutriantur & crescant libero.

Qui ex lapidibus & alijs subiectis duris & compactis non raro Plantæ & res aliæ enascantur.

Vnde sit quod Radix deorsum, at Surculus seu Planta ipsa sursum excrescat: eodemq; nitantur, utcumq; plantam cum terra sua seu vase inuertas.

### *De Animalibus.*

Animantis natura, qui uiuat, sentiat, actiones & corporis & animi cum exterius tum interius exercent.

De Corpore & Animo inprimis.

Qui Corpus Animum, Animus econtra Corpus afficiat.

Qui rerum certæ profluentiæ seu Imagines siue Sensuum Obiecta in Cerebrum seu corpus tanquam in speculum incidant, & Sensus Quinos tum alios moueant.

Qui ibidem permaneant, permanentes sentiantur iterum & Memoriam sui excitent.

Qui dispositione, applicatione & motu diuerso, alia atq; alia efforment simulacra, Animiq; actiones proferant varias.

Qui in corpus vniuersum transeant, operentur, cunctaq; perficiant.

Et hic comprobabitur Animalia non solum, sed corpora ad vnum omnia interius sua sentire, insuper externa complura percipere, eademq; inter se communicare, & Habitum cum ab interioribus tum ab externis acquirere: exterius licet hanc affectionem suam vulgari & animantium modo non exprimant.

Qui Animal non solum, sed & Corpus quodcumq; & Mundana omnia moueantur continue & perpetuo.

Et hic de Semper Mobili seu Motu perpetuo nonnulla.

Similiter de Vectis (ut vocant) doctrina: in mysterijs præsertim physicis.

Animalium Subterraneorum, Aquaticorum, & Aereorum siue Terrestrium species, differentiæ & mixtiones variæ.

Qua ratione vbiq; locorum Mundi Animantia & fieri & viuere queant.

Animalia nunc ex propagine seu ex Animalis præcedentis progenie, idque modis varijs generari: nunc ex materia certa medijs naturæ vel artis h, e, medijs seu sponte oblati seu aliunde adhibitis produci: nunc quomodocumq; & quasi per se gigni explicabitur. Causis singulorum additis intimis.

C

Cur